



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 561 Usque Ad Annum 633

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1759**

**VD18 90117832**

[§.XVII. Antiquitas studiose requirenda.]

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66072)

Justina persequeretur, populum consolatur, confirmat, in Officio continet. Sermonem materiæ, tempori, Auditorum affectibus accommodat.

Veteres, quis Orator esset, definiētes dixerunt, esse Virum probum, qui Arte benedicendi polleret. Apposite profecto! nam jam prope persuasit, qui Auditorum fiduciam sibi acquisivit. Qui malus esse creditur & versutus, nequidem auditur. Viro ignoto non fidimus; illi soli benevolas aures dare solemus, de cujus scientia & recta voluntate non dubitamus. Jam vestrum judicium sit, Lectores! an illorum Sæculorum Episcopi viri fuerint, qui apte dicere ad persuadendum, imo persuadere, possent; viri, quorum exploratissima erat virtus, Doctrina eximia, & omni exceptione major Auctoritas. Ipsum orationis Exordium, sola tantorum virorum præsentia persuadebat. Quis denique resistere potuisset viris, qui Auctoritati, quanta in hominibus esse potest, curam singularem in adjuvandis suæ Ecclesiæ pauperibus, & summam industriam ad concilianda sibi omnium subditorum corda conjungebant?

§. XVII.

*Antiquitas studiosè requirenda.*

Infinitas igitur Deo ter Maximo gratias agere tenemur, cujus Providentia factum,

Etum, ut participes fieremus tanti The-  
sauri, Librorum a SS. Patribus conscri-  
ptorum, in quibus Doctrinæ Catholicæ  
Summam, eandem ad posteros propa-  
gandi Methodum, Disciplinæ Morum-  
que Regulas & Exempla invenimus.  
Nonne istud Divinæ Providentiæ Mira-  
culis accensendum, quod tot Libri & pre-  
tiosa Patrum Monumenta post tredecim  
vel quatuordecim Sæcula, post tot po-  
pulorum barbarorum irruptiones, depræ-  
dationes & incendia, non obstante Infi-  
delium furore, Hæreticorum nequitia  
nec quinque sexve posteriorum Sæculo-  
rum ignorantia & corruptela ad nostram  
usque ætatem feliciter pervenerint? an  
non eidem Divinæ Sapientiæ in acceptis  
referimus, quod abhinc annis prope tre-  
centis tot viros pios aut saltem veteris  
Historiæ amantes excitaverit, qui omnes  
Sanctæ hujus Antiquitatis reliquias colli-  
gerent, & linguis mortuis operam da-  
rent? Eiusdem item Providentiæ opus  
est, quod Græci a Turcis oppressi dulce  
Asylum in Italia & Francia nacti sint, si-  
mulque in lucem emergeret Typogra-  
phia, Divinum inventum! quo tot Li-  
bri naufragio erepti in perpetuum serva-  
rentur.

Nullus dubitandi est locus, quin ali-  
quando justus Deus a Christianis & præ-  
sertim a nobis viris Ecclesiasticis hujus

Talenti clementer concessi rationem exacturus sit. Dum otium nobis est, aut certe dum a laboribus necessariis respirare licet, huic Sanctæ Antiquitati studeamus. Non ignoro, quid plerosque ab hac lectione abstertere soleat; infinitus labor esse creditur, nec admodum utilis; hinc plurimi, ut tempori parcant, legunt Scriptorem modernum, qui ex Antiquorum Libris ea, quæ moribus nostris magis consentanea sunt, in compendium coëgerit. Sed fallimini! Modernorum nullus vobis Antiquitatem talem, qualis est, exhibebit; quisque etiam non advertens de suo aliquid adjicit, atque præjudicia patriæ & ævi sui inspergit, si etiam illud silentio præteremus, quod multis Modernorum, & his ipsis, qui maximi æstimari solent, Antiquitas non satis cognita fuerit. (\*) Preterea modernorum Scriptorum Libri ingenti Divisionum & Quæstionum Scholasticarum multitudine impleti sunt, unde genuinum Veterum Patrum sensum non discimus. Objicientibus quibusdam oportere, ut nos Sæculi nostri usui conformemus, respondeo, id verum esse quoad usus omnium oculis expositos, quales sunt Cæremoniæ in Officio Divino, aut Judiciorum forma; attamen ubi de mori-

(\*) Videlicet: *purius ex ipso fonte bibuntur aquæ.*

moribus agitur, quemque privatum posse, imo teneri, omnes vires intendere, ut magis pie vivat, quam hominum plerique, nisi in torrentem dissolutionis universalis abripi velit. Idem dicendum de Studiis; quisque methodum, quam meliorem esse judicaverit, sequi potest, quin Rempublicam hac ex parte reformare aggrediatur.

Verum enim vero, Lectores! si cordis nostri latebras scrutari vellemus, facile cognosceremus, quod ideo Antiquitatem pertimescamus, quia Perfectionis Exempla nobis exhibet, quæ imitari piget. Dicimus, Antiquorum Regulas esse observatu impossibiles; nempe nisi hoc diceremus, nulla nobis suppeteret excusatio, quare eas non observemus. A Regulis & Exemplis Sanctorum oculos avertimus, eo quod nostram nobis socordiam continuo exprobrent. Quid verò hæc dissimulatio nos juvet? num ideo hæc Regulae & hæc exempla, sive ea attenderimus sive spreverimus, minus vera erunt? nec nobis quidquam proderit illa ignorasse; cum post tot admonitiones crassa esset & affectata ignorantia. Contra si a nostra desidia impetrare potuerimus, ut Sanctæ Antiquitatis Doctrinam addiscamus, aliisque, omni qua possumus ratione & modo, observandam proposuerimus, sperandum, tandem nos

pudorem salutarem subituro, quod ad  
 ea tam longe absumus, nosque cum ad  
 auxilio Gratia aliquem conatum elicituros  
 ut moribus nostris propius ad eam acco-  
 damus. Præteritorum Experientia no-  
 bis animos in futurum addat. Quantum  
 Ecclesie Disciplina uno abhinc Sæculo  
 per Decreta Concilii Tridentini, S. Ca-  
 roli labores, Seminariorum Foundationes  
 tot in Ordinibus Religiosis Reformatio-  
 nes emendata est! Unde tot Bona  
 ab Antiquitatis studio Ecclesie adve-  
 runt? & quantum emolumentum sperari  
 non possumus, si tam illustra Exempla  
 sequamur?

Ne vero Antiquitatis Studium in-  
 mensum ideoque inutile nobis fiat, ne-  
 cessarium est, ut cum solerti Scriptorum  
 electione & ordine instituat. Consi-  
 lendi sunt, qui præ cæteris Antiquitatis  
 Ecclesiasticæ operam navarunt, ut pro  
 ingenii nostri capacitate & Muneris tra-  
 ctatione ea discamus, quæ Statum nostrum  
 decent. Serio & Christiane legamus,  
 vana curiositate & jactantia caveamus.  
 Non ideo legendum, ut multa legisse,  
 aut verum cujusdam obscuri Textus se-  
 sum primi eruisse, aut aliquid antiquita-  
 tis antea ignotum in lucem produxisse  
 dicamur. Non quæramus in Patribus  
 geniose excogitata, Styli magnificentiam  
 nec speciosos illos Textus, quibus nos  
 di-

diu abhinc Oratores nostri, & Causidici sermonibus suis splendorem adsciscere existimabant; sed quæramus verum Scripturæ sensum, Argumenta solida, quibus Doctrina probatur, atque certissimas Disciplinæ & Morum Regulas. Quæramus Methodum convertendi Infideles, Hæreticos oppugnandi; Artem regendi animas, viam Vitæ interioris, veram Pietatem quæramus, nec ideo quæramus, ut de iis eleganter differere possimus, sed ut ea, quæ ex Antiquis didicerimus, in opus & exercitium deducamus.

Imprimis SS. Patrum prudentiam & discretionem imitari satagamus; præsentium rerum statui serviamus, ne Sanctis Patrum Regulis invidiam & odium creemus, si ad earum observantiam proximum plus justo urgeamus, aut eas non pensatis adjunctis temporis & Personarum importune suadeamus. Nimum ardorem animi, & impatientiæ motus reprimamus. Ut antiqua Disciplina bene & utiliter reduceretur, integram restitui oporteret; si partem unam sine altera revexeris, non satis cum reliquis connectetur, & deformitatem pariet. Ante omnia faciamus, quod rei caput est; nos ipsos magno orandi fervore, motuum interiorum moderatione, morumque nostrorum emendatione reformemus, tum

veritatem, quam Deo dante cognoverimus, aliis sine contentione, sine acrimonia, sine jurgio communicemus. Primi omnium agamus, quod melius esse credimus, & a voluntate nostra dependet. Revertamur ad orationem, & cum patientia expectemus, donec Deo placuerit opus suum perficere. Optimum hoc est remedium, quo Historiæ Ecclesiasticæ cognitio Christianis reddi possit utilissima. (\*)

(\*) Endlich machet der Uebersetzer eine Beobachtung über seine eigene Anmerkungen, und sagt: Was hin und wieder erinnerungsweise beigefüget worden, ist aus Liebe zur Wahrheit und hoffentlich auch im Geiste der Liebe geschehen.

Diese Erinnerungen sind darum hinein gesetzt worden, damit seine Glaubensbrüder zu der Erkenntniß der Wahrheit nicht so leicht kommen könnten. Die Lüge über den Cardinal Baronius, und die Lästung wider den H. Pabst Damasus, die wir oben angemerket, will er aus Liebe zur Wahrheit, und im Geiste der Liebe geschrieben haben. Er glaubet auch wider die Meynung des Herrn Fleury, daß die Tridentinische Kirchenversammlung der Kirche Christi schädlich seye. Ja ein Lutheraner kann dieser heiligen Kirchenversammlung nun öglich gewogen seyn.

